233

G


5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

MicroChamber®
Beschermd
KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

PARAPHRASES HORATIANAE,

Seu KW 233 G 5

ODAE QUAEDAM

EX HORATIO

Elegiaco & Heroico Carmine

Redditae.

Per

BARTHOLOMAEUM BOLK,
ADRIANUM REELAND,
ABRAHAMUM LAKENS,
CHRISTIANUM COCQ.



AMSTELAEDAMI,
Apud JOANNEM RIEUWERTS, Urbis &
Illuſtris Athenaei Typographum.

CIƆ IƆ C XC.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

PETRUS FRANCIUS BENEVOLO LECTORI

S.

SIſtimus tibi, benigne Lector, aliud exercitationum noſtrarum Poëticarum ſpecimen, Odas videlicet quaſdam Horatianas liberiore paullulum modo in aliud carminis genus transfuſas. Praeivit hac nobis in parte ſaepius a me nominatus Jacobus Wallius, qui luculentas ſuas paraphraſes Horatianas in exemplum juventuti propoſuit, & pulcherrimam hanc noſtris viam primus aperuit, tanto ſane cum ſucceſſu, tamque feliciter, ut a ſimili nos incepto jure quidem ac merito deterrere debuerit. Sed videlicet, ſunt haec exercitia Juniorum, quo ipſo, credo, nomine facilem apud aequos ac bonos judices veniam impetrabunt. Neque vero in certamen deſcendere volumus cum Viro eximio, & impare plane congreſſu iſto cum Achille contendere: ſed ut ille ſuis, ita

A 2 nos

nos noſtris haec ad imitandum proponimus, ut veram, qua itur ad carmen, calcarent inpoſterum viam. Non poſſum me judicem interponere, ſed non male, ut videtur, proceſſit. Quod ſi idem hoc tuum de nobis ac conatibus noſtris, benevole Lector, judicium, magno id nobis gaudio, magno item ad alia futurum eſt incitamento.

HO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Q. HORATII FLACCI

Lib. 1. Carm. Ode 31.

Quid dedicatum poſcit Apollinem
Vates, &c.

QUid ſupplex poſcit Vates hoc carmine Phœbum,
Pïëridumque decus, Pïëridumque caput?
Non ego Sardiniæ ſegetes; non thura Sabæi,
Non poſco Calabri paſcua grata ſoli;
Non aurum, nec ebur, quod miſerit India dives,
Quoſve ſuo Liris flumine mordet agros.
Elidat prælis ſpumantia vina Falernis,
Fortunâ vitis cui meliore data eſt:
Exſiccet plenis mercator vina culullis,
Munera Lenæi, mercibus empta Syris:
Sit dives licet, & ſit Dîs chariſſimus ipſis,
Et Geminos Fratres in ſua vota vocet:
Surgentem videat Solem, videatque cadentem,
Terque quaterque anno littora rubra petat:
Me paſcant cichorea; leves medicamina malvæ
Sint, & delitiæ pinguis oliva meæ.
Faginus ante dapes ſtet crater: pocula lacte,
Vel vino, & purâ miſta bibantur aquâ.
His mihi poſſe frui dones, ô Phœbe, paratis,
Hæc mihi nam magni muneris inſtar erunt.
Sat mihi, ſi ſano ſit mens in corpore ſana,
Cui laus invidia eſt, gloria vana pudor.
Sint mea Socraticæ, precor, oblectamina chartæ,
Meque ſuo illuſtrent lumine ſcripta Sophûm.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

ſint mihi curarum lenimen dulce mearum
Carmina, ſint Clariæ, præſes Apollo, Deæ,
Sic Tibi, ſic Muſis gratus portare protervis
Triſtitiam ventis trado, metumque mari:
Teque tuaſque colam Muſas, Latöe, ſororem
Germanis jungens Pallada, Phœbe, tuis.
Corpore ſic fuerim, fuerim ſic mente beatus,
Nulla gravis mihi mors, nulla ſenecta foret.

BARTHOLOMÆUS BOLK.

Lib. 4. Od. 15.

Phœbus volentem prælia me loqui, &c.

PRælia me victaſque urbes cantare volentem
Increpuit Phœbus, ne Tuſcum parva per æquor
Vela darem. Pacem, Cæſar, tua rettulit ætas,
Et pratis Cererem, tranquillæ Pacis alumnam.
Nunc tandem æternis, per Te, religata catenis
Bella jacent, jacet Ira. Jovi, derepta ſuperbis
Parthorum domibus, Victoria ſigna reponit.
Claudit pacatis Cæſar terrâque marique
Tertius Antiqui felicia templa Quirini:
Atque idem juſtas leges, & fræna vaganti
Nequitiæ injecit, pæniſque amovit acerbis,
Inſidias, Fraudeſque malas, Scelerumque cohortem,
Et revocat veteres Romani nominis artes,
Per quas antiquo Latio nomenque decuſque
Cre-

Crevit, & Imperii Majeſtas, Famaque ad ortum
Solis ab Heſperio porrecta eſt uſque cubili.
Hoc rerum cuſtode, furor non exiget alma
Otia, civilis non vis inſana duelli,
Quæ ſua fatiferum procudit in ilia ferrum,
Atque odiis inimicat & in ſeſe excitat urbes.
Non orti Tanaim propè, Danubiumque profundum,
Non Scytha, non gelido quæ gens ſubjecta Trioni eſt,
Non Perſæ, quorum perjuria morte notantur,
Craſſe, tuâ, Leges edictaque Julia rumpent.
At nos ſecuri celebrabimus otia, Divi
Cæſaris auſpiciis, atque inter munera Bacchi,
Quiſque ſuis cum conjugibus, cum prole, profeſtis
Lucibus & ſacris, pia Numina ritè precati,
Heröum Laudes Patrio de more canemus,
Et functos virtute Duces, fidibuſque remiſto
Carmine Mæoniis, Anchiſen, multaque paſſum
Æneam, populis daret ut ſua jura Latinis,
Progeniemque almæ Veneris dicemus, Julum,
Atque hinc deductos Divûm de ſtirpe Nepotes.

IDEM.

Epodon Od. 6.

Quo, quo, ſceleſti, ruitis? &c.

QUæ tenet, o Cives, veſtras inſania mentes?
Dicite: quo ruitis, quo, ſcelerata cohors?

Ar-

Armane, jam dudum multo madefacta cruore,
Aptantur manibus, turba nefanda, tuis?
Sanguine nonne ſatis commixta eſt unda Latino?
Nonne ſatis noſtro terra cruore rubet?
Altera non reſtat Carthago, nec Annibal alter,
Mænia nec validis diripienda viris:
Et nondum domiti Romano Marte Britanni.
Poſtulat inſuetas dura catena manus.
Hoc vellet Medus, Perſes quoque vellet, & Indus:
Hoc velles, noſtris invide, Parthe, bonis.
Ut ſua Romani converſi in viſcera pugnent,
Seque ſuâ ſuperet terra Latina manu.
Talia terribiles nunquam fecere Leones,
Nunquam vel ſævis mos fuit ille feris.
Oderunt tantum genus hæc animalia diſpar:
Non odit natos torva leæna ſuos.
Impia quæ rabies, quis vos furor incitat ardens?
Irane vos Divûm, veſtrane culpa rapit?
Reſpondete. Tacent: ipſis vox faucibus hæret,
Pars certe pavidâ maxima mente ſtupet.
Sic eſt. Romanos agitant ultura nefandam
Fata necem; ſequitur pœna cruenta ſcelus:
Ut primum ſacro, diroque nepotibus illa
Innocui maduit ſanguine terra Remi.

ADRIANUS REELAND.

Lib.

Quæ cura Patrum, quæve Quiritium, &c.

SEdula quæ Patrum, vel quæ pia cura Quiritum
Efficeret, multa ut titulis per ſæcula dignis
Annales caperent laudes, Pulcherrime Cæſar,
Virtuteſque tuas? ô Divum maxima proles,
Quà terris radians lumen diffundit Apollo:
Cujus & ignari Legis ſenſere Latinæ
Fulmina Vindelici, quantum Tu Marte feroci
Atque acie Valeas, quantum Tua dextera poſſit.
Auſpiciis namque ante tuis, Tua Gloria, Druſus
Perdomuit, genus acre virûm ſævumque, Genaunos,
Plus ultra imperium extendens. Nec finibus illis
Contentus celeres adiit, celer ipſe, Britannos.
Ille quoque aëriis dejecit ab Alpibus hoſtes
Plus ſemel. Et frater de Rhætis ſæpe tropæa
Vindeliciſque tulit, fatis avibuſque ſecundis.
Acer & in bello ſpectandus, dura fatigans
Pectora Rhætorum, morti devota cruentæ,
Infrænes exercet aquas velut horridus Auſter,
Multâ Pleïadum nubes ſcindente coronâ,
Impiger in caſtris hoſtem ſuperare, per ignes
Ducere equum medios, multum exhaurire laborem.
Non aliter, tauro ſimilis, cum volvitur ingens
Aufidus, illuviem populis meditatus & agris,
Sævit, & horrendis in gyrum flectitur undis.
Quam ſæpe hic venit, vidit, vicitque, viaſque
Sanguine barbarico, ſævoque cruore replevit,

Et rediit, ſine clade, ſuo mox victor ab hoſte!
Te Divos præbente Tuos, Te dante cohortes,
Conſilium Te dante: ſinum, quo tempore, Vobis
Triſtis Alexandreia ſuum patefecit, & aulam
Præſidio vacuam. Te per tria luſtra ſecunda
Adjuvit Fortuna, Tuos ſuperavit & hoſtes.
Te tandem domitus Romano Marte Britannus,
Te Scytha, Te Medus, Te Cantaber acer, & Indus
Mirantur, Dominæ, Cæſar, ſpes unica Romæ.
Te Nilus, fontem occultans, Te Rhenus & Iſter,
Te Tigris, Te, qui fluctus ad littora Brenni
Devehit Oceanus, Te bellis nata gerendis
Gallia, Te poſito veneratur Iberia ferro,
Et nunquam humana ſatiati cæde Sicambri.

IDEM.

Lib. II, Od. XIV.

Eheu fugaces, Poſtume, Poſtume
Labuntur anni, &c.

POſtume, tempus abit, fugit irrevocabilis ætas,
Heu! volucri curſu, Poſtume, tempus abit.
Non letho horribili, pigræ tremulæque ſenectæ,
Non rugis pietas afferet ulla moram,
Non: licet umbrarum durum, cum conjuge, Regem
Cæſorum places ſanguine mille boum.
Scilicet ille omnes, ſegetum quos munere tellus
Suſtinet, immitis regna ſub atra vocat.

Ten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Tendimus huc inopes pariter, regeſque, duceſque,
Huc pariter pueri tendimus, atque ſenes.
Nequicquam impavidi fugimus bella horrida Martis,
Et pelagi fluctus, Adria rauce, tui.
Nequicquam diræ fugimus contagia peſtis,
Noxiaque autumno tempore flabra Noti.
Omnibus eſt Stygiæ viſendus portitor undæ,
Et recubans atras Cerberus ante fores;
Nec non & Tityus, roſtro cui vultur adunco
Dilaniat creſcens per ſua damna jecur;
Tantalus in medio viſendus flumine, tuque
Qui tua nequicquam, Siſyphe, ſaxa moves.
Eſt linquenda placens conjux, telluſque, domuſque,
Quicquid & aurato Phœbus ab axe videt.
Linquendæ teneris veſtitæ vitibus ulmi,
Quemque colis, multo fœnore gratus ager.
Una brevem Dominum de tot comitabitur arbor,
Sola comes fati nigra Cupreſſus erit.
Mox bona profundet longo congeſta labore
Addictus genio, deliciiſque, nepos.
Conſervata diu, clauſtriſque abſcondita centum
Abſumet plenis Cæcuba vina cadis.
Pontificum de more dapes epulaſque parabit,
Lætaque ſpumanti proluet ora mero.

ABRAHAMUS LAKENS.

Lib.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Donarem pateras, grataque commodus,
Cenſorine, meis æra Sodalibus, &c.

DOnarem pateras, cœlata ſodalibus æra
Donarem, & tripodas victorum prœmia Grajũ,
Expreſſas variis tibi, Cenſorine, figuris
Donarem tabulas; me divite ſcilicet artis,
Quam vel Praxiteles, vel famâ illuſtris Apelles
Protulit; Hic ſaxo vivos referentia vultus
Signa Deum ſolers excudere, doctus & alter
Mendaci veros homines ſimulare colore.
Sed non ingenium (fateor) mihi tale, nec ipſe
Has tibi delicias, aut talia munera poſcis.
Carminibus gaudes teneris, tibi carmina poſſum
Donare, & pretium parvis imponere donis.
Non inciſa notis, aut regum condita luxu
Marmora, quæ claris tribuunt poſt triſtia vitam
Funera principibus: non prœlia dira, fugæque
Annibalis, ſterileſque minæ, fuſæque cohortes;
Non conſumta feris Carthaginis impia flammis
Mœnia; non cædes, ejus præconia laudis,
Debellata cui magnum dedit Africa nomen,
Clarius exornant, quam vos, Heliconis alumnæ,
Pierides Calabræ; quam vos, ſanctiſſima vatum
Pectora: nec quiſquam, veſtri modulamina cantus
Si ſileant, meritos virtutis ferret honores.
Quid foret Idomeneus, quid belli terror Achilles?
Quid Priamus, fortiſque Ajax, quid Pergama, ſi non
Divinam Iliaden Grajus ſcripſiſſet Homerus?

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Quid rapidus Tibris, Dominæ quid conditor urbis,
Illorum obſtarent ſi fœda ſilentia famæ?
Quid foret ereptus Lethæis Æacus undis,
Cui favor, & virtus, & vatum lingua potentum
Jus dedit in ſontes animas, umbraſque ſilentes?
Dignos laude viros avidæ ſuccumbere morti
Muſa vetat: ſupero laurum palmamque merentes
Cœlo Muſa beat, ſtelliſque interſerit ipſis.
Sic pius Æneas, ſic, cum Jove, nectare dulci,
Et Divum fruitur dapibus, Tyrinthius heros:
Sic quoque ferventi jactatas æquore puppes
Tyndaridæ eripiunt fratres, ſolvuntque periclo:
Sic viridi ornatus juvenilia tempora ſerto
Ex voto agricolæ precibus reſpondet Jacchus.

IDEM.

Lib. 2. Od. 10.

Rectius vives, Licini, &c.

CAre tuum, Lycini, perages felicius ævum,
Si navem non alta nimis per cærula ducis,
Littore nec timidus preſſo fugis æquoris undas.
Aurea delectat cunctos moderatio. Tutus
Sordibus obſcæni tecti caret, & caret aulâ
Sobrius inviſâ. Ventis protruditur ingens
Pinus, & excelſas turres, graviore ruinâ,
Et Jovis aërios deturbant fulmina montes.

Re-

Rebus in adverſis animum retinere, ſecundis
Non nimium gaudere, decet formata per artem
Pectora, ſeu lætis fatis, ſeu triſtibus uti.
Jupiter informes hyemes adducit, eaſdem
Submovet, &, male nunc ſi ſit tibi, non erit olim.
Suſcitat interdum tacitam teſtudine Muſam,
Nec ſemper laxos arcus intendit Apollo.
Rebus in anguſtis animum præſtare virilem
Nitere, mox vento nimium ſpirante ſecundo
Turgida prudenti conſtringes lintea dextrâ.

CHRISTIANUS COCQ.

Lib. 2. Od. 16.

Otium Divos rogat in patenti
Prenſus Ægæo, &c.

OTia nauta petit, fluctu jactatus iniquo,
Cũ mare, ſub nocte nigrã,cũ murmure ſpumat
Ingenti, nec jam cælo ſua ſidera reſtant.
Otia miles amat ſecura, amat otia ruris
Incola, venator petit otia, feſſus agendo,
Otia, quæ nemo gemmis aurove pararit.
Pondera non auri, multo congeſta labore,
Conſulis aut faſces, miſeros in mente tumultus,
Aut curas, etiam regum ſub tecta volantes,
Sede movere valent. Parvo bene vivitur illi,
Qui videt in menſâ patrium ſplendere ſalinum,
Cui faciles ſomnos nummorum dira cupido,

Nec

Nec timor, ex oculis aufert. Quid, cum breve tempus
Omnibus eſt vitæ, multum jaculamur in illo?
Quid petimus terras alio ſub ſole jacentes?
Orbis enim profugus quiſnam ſe fugerit ipſum?
Scandit & æratas celeri pede Cura carinas,
Militiæ ſequitur criſtatas Cura catervas,
Ocyor & cervis velocibus, ocyor Euro.
Accipit in præſens animus ſua munera lætus,
Cætera non curans, minuens & triſtia riſu,
Nam nihil in terris omni de parte beatum eſt.
Deſeruit vitam, brevis ævi, clarus Achilles,
Tithoni vires minuit longæva ſenectus,
Et, tibi quod renuit, forſan mihi porriget hora.
Mille tuas pecudes lætis mugitibus aures
Sicaniæque implent vaccæ, tua jugera calcant
Quadrupedes, aptæ celeres agitare quadrigas.
Veſtibus ornaris Gætulo murice tinctis:
At mihi Parca dedit non mendax parvula rura,
Ingeniumque aptum dulces effingere verſus,
Pectore & innocuo contemnere vulgus iniquum.

IDEM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 5